



1/
1
2.
3.
4.
5
6
7
8
9



DISPUTATIO INAUGURALIS

Ad L. Juliam

DE

ADULTERIIS,
STUPRO, INCESTO,
ET LENOCINIO

Quam

DEO CLEMENTER ANNUENTE

Autoritate & Decreto

MAGNIFICI, AMPLISSIMIQUE
RECTORUM ORDINIS IN ACADE-
MIA ARGENTINENSI.

AD

Assequendum propositum in U. J. summum
honorem & privilegia

*Publicae & Solenni Eruditorum disquisitioni
submittit*

JOHANNES *Cramer* / LEUTENBERGA
SWARTZENBURGICO-THYRIGETA.

Mense Jun. 3. die.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LII.

700.

~~97,~~

1652, 4. 20



ILLUSTRISSIMO AC GENERO-
SISIMO COMITI AC DOMINO,

DOMINO

JOHANNI, SENIORI,

NASSOVIAE

SARBRUCCAE.

SARWERDAE &c. COMITI


DOMINO LAHRAE

WISBADENAE

ITZSTENII &c.

ILLUSTRISSIMAE NASSOVICAE DO-
MUS h. t. MAJORI EMINENTIS-
SIMO, COMITI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

AR GENTORATI,
Typis FERHARDI WEPPE.
M. DC. LII.



ILLUSTRISIME DOMINE COMES
DOMINE CLEMENTISIME.

Haud immerito Celsitudo T. meam
 mirabitur audaciam, quā incitatus exile hoc &
 chartaceum munus, Theses meas inaugurales, ad
 Tua deponere audeam genua. Scripti brevitatem
 si quis arguat, ei rationis loco repono, ex mente
 Cujacy, qui paratit. C. ad hunc titulum, nullam materiam à Ictis
 vigilantius tractatam dicit, me fecisse: præterea in omnibus ductum
 Amplissimi Dn. D. Taboris ceu filum Ariadnaum secutum. Sed &
 in promptu mihi sunt rationes, quibus motus ista conari & perficere
 Tuæque Celsitudinæ inscribere sustinui. Scio enim Cels. T. ut omnis
 justitiæ ejusque executionis assertorem animosissimum; ita etiã
 criminis ejus, quod Lex Iulia punit, ut gravissimi; ita hocce seculo
 per libidinem & intemperantiam corruptissimo vulgatissimo, vindi-
 cem esse acerrimum. Dolendum quidem in ea nos incidisse tempora,
 quibus non ut olim prudentissimus Historicus de Germanis scripsit;
 septa pudicitia agunt, & pauca in tam numerosa gente adulteria:
 sed, prob, ita innumera, ut non facile quis ea recensere queat. Nam
 vitia nunc ridemus, & venia hodie est publicata pudicitia. Si ta-
 men ab aliorum forsã dicasteriis & aulis lex Iulia exulet; ut ista
 Iulij Clari celeberrimi Icti, à Juvenale cum indignatione mutuata
 interrogatio, ubi nunc lex Iulia? dormis? jure reiterari possit: In
 T. Celsitudinis certe aula & tribunalibus hoc fuerit supervacaneum,
 ubi virtus prisco more honoribus excitatur, & facinora penis coër-
 centur. Animum etiã mihi addidit concredita Ephoratus pro-
 vincia illustrissimorum ac Generosissimorum C. T. trium filiorum:

A 2 quo

quo honore C. T. biennium, & quod excurrit, me dignata. Qui, ut
jam nunc magnorum & heroicorum sunt moliminum: ita faxit
Deus immortalis; ut instar Geryonum amoris & fraternae concordiae
ligamine juncti, crescant in Illustrissima & antiquissima, Domus
Nassovica Sarapontanae pedamenta ac fulcra. Accedit insuper,
quod C. T. mihi, quamvis non merenti functionem perquam ho-
norificam & amplissimam conferre, sibi que esse à Consilijs, cle-
mentissime voluerit. Haec sunt Illustrissime Comes, Domine Cle-
mentissime, haec, inquam sunt causa & rationes, non ad hoc mo-
do me moventes, sed aliud & quidem longe altioris conaminis
à me poscentes. Et cum sciam esse qui C. T. integra ac accura-
tissime elaborata inscribunt opera. Sperabo me in eorum nume-
rum referri posse, qui tenui flosculo, cujus versicolori forma va-
riam donorum DEI distributionem rerumque diversitates discere
possumus & admirari, non minimam apud magnates ineunt gra-
tiam. Sed ne longius abeam Divini Numinis imploro auxilium
T. C. ut conservet in seros usque annos in publ. boni firmamentum,
Domus Nassov. Sarapontanae munimentum, propriae ac Illustrissimae
prosapiae emolumentum

T. Cels.

Cliens Subjectiss.

Johannes Gramer.



JEHOVA JUVVA.
PROLEGOMENA.



Non immeritò quis perquirat instituti
mei rationem, quare præ cæteris infinitis velut
non alia & longe forsan aptior & benevolo
lectori magis grata sese mihi tractanda obtule-
rit materia? Verum hujus mei propositi ratio-
nis hoc mihi residet, quod hæc materia L. sc. Jul. de pudicitia
ut ab Alexandro Imp. l. 8. C. b. indigitatur vel de adulterijs
coërcendis, sub Martis vagâ plerumque intemperantiâ arden-
tis tempora, ut cæteræ leges ferè omnes, neglecta pedibusque
quasi conculcata jacet, jam verò Deo F. O. M. (post tot my-
riadum hominum lacrimas ac vota) annuente, Pax & Justitia
sorores sese iterum nexibus suavissimis amplectuntur: qua-
propter illa pristino suo vigori ac nitore reddenda videtur, nî
remoto illius repagulo in turpissimam societatis velimus inci-
dere rupturam & quæ inde sequitur, ultricem irascentis Deï
pænam. Quemadmodum enim salus cujusvis Reipubl. per-
sistere & diutina esse nullatenus potest, nisi salvâ & incorruptâ
singulorum civium tutela & incremento *h. ult. l. de l. & l.*
Ita nulla domus tuta ac tranquilla conservari potest, nî matri-
monia custodiantur. Quid quod matrimonium quasi basis &
fundamentum est omnis Reipubl. imò principium civitatis
constituendæ, hominum officina, & seminarium Reipubl.
& Ecclesiæ ipsius Altissimi amplificandæ & conservandæ
Besold. lib. 1. polit. c. 10. Carpzov. p. crim. 2. quest. 51. n. 4. ex quo
omnes societates, possessiones, & subsidia vitæ humanæ de-
pendent; hinc admod. prudenter Imp. Justin. nihil in rebus

*Thematis
tractanda.
Ratio.*

mortalium perinde venerandum esse monet atque matrimo-
nium, quippe ex quo liberi, omnisque deinde sobolis series
existat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, unde
deinde optimæ Reipubl. coagmentatio fiat *Nov. 140. in pr.* ac
ut maxime Reipubl. interest, ne securitas publ. foris lædatur.
Ita omnimodò cavendum est, ne privata domi tranquillitas
intervertatur, quod maximè fit adulterio; quorsum respicere
censetur coniunctio titulorum L. J. Maj. & L. J. de adulter,
coërcend. *C. I. A. in pr. h. t.*

Nec abs re quis dixerit, malum hoc, alia secum trahere
Plin. lib. 8. cap. 5. veluti violentiam, injuriam, perjurium, fal-
sum testimonium, homicidium; ut videre est in Davide, qui ob
amorem in Betsebam, occidit & Uriam 2. *Reg. 6. 11.* imò &
furtum inest adulterio, quia uxor non habet potestatem cor-
poris sui, sed maritus, & vicissim, *1. Cor. 7. v. 4.* quàm foedum,
quantoq; in odio semper fuerit habitum hoc ipsum flagitium,
& apud plerosque gentiles, inde percipimus, quod Lacedæ-
monij, cum quos odissent non majori eos arbitrabantur exe-
cratione dignos, quam quod eorum uxores adulterijs delecta-
rentur. *Briffon. ad L. I. de adult. n. 20.* Et sapientissimi certarum
Gentium Nomothetæ nullam certam adulterio statuerunt pæ-
nam, ostendentes tanto sceleri, æquipollentem congruamque
vix posse inveniri vel sanciri pænam, ut refert *Dn. Carpz. p. 1.*
crim. cap. 52. Adeò ut Natura etiam ipsa quædam animalia
documento nobis esse voluerit certissimo ut elephantes, *Plin.*
lib. 8. cap. 5. ciconias, *AElian. lib. 8. animal. cap. 7.* turtures &c.
Plin. lib. 10. c. 33. leones, columbas ut Poeta canit

*Exemplo junctæ tibi sunt in amore columbæ
Masculus & totum, fœmina conjugium.*

Propert. lib. 2.

Et multa alia animalia v. *D. Harpr. §. 4. I. de P. I. n. 4.* Inde
Ulpianus, probra quædam naturâ turpia sunt, ut furtum, adul-
terium (turpia Cic. dixit, injusta ac indecora *lib. 1. offic.*) *l. 42.*
de

73
de V. S. §. 1. l. de I. N. G. ac C. Nov. 22. c. non machaberis 32. quest. 5.
Aristot. lib. 7. cap. 16. Et Brisson. d. loc. sat accuratè cum scribit,
hanc sc. L. Jul. esse antiquissimam, quippe cum mente divina
simul ortam, argumento esse consentientem in unū omnium
populorum de adulterij turpitudine opinionem, quæ pro cer-
tissima lege accipienda sit. Etenim ratio, inquit à rerum na-
tura profecta & ad rectè faciendum impellit, & à delicto avo-
cat, quæ nondum demum incipit lex esse, cum scripta, sed
cum orta est, inde Horat. lib. 1. serm. satyr.

Oppida ceperunt moliri & ponere leges

Neu quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

Hinc non immeritò omnium reprehensionem incurrit
Alexand. III. Pontifex hinc minimè pontem ad paradysum
ac sedes beatorū faciens, qui adulterium inter minora & levio-
ra retulit peccata Cap. *et si clerici* §. 1. de Iudic. quem papæ lapsum
nominat Cujac. qui sine calumnia excusari non possit, quan-
quam sint, qui illum excusent. v. Rittersh. lib. 4. de differ. I. C. &
Canon. Reipubl. duo sunt fulcra præmium sc. & pæna, referente
Plutarcho in Solone Dn. Harpr. ad §. 4. l. de P. I. Wesenb. parat. de
publ. jud. n. 5. Quæ duo si sustuleris, Rempubl. ipsam sustulisse
videberis, sublato enim virtutum præmio, quis ijs studebit, re-
motâ scelerum pænâ, quis tutus erit? quam necessaria proinde
sit Julia L. ejusque vigor, nemo est, qui non videt, sed quàm
remisse ac negligenter hætenus ejus habita sit ratio, est quod
dudum deploravit Dn. Lutherus, qui dicere solitus fuit; adul-
terium hodie Magnatum ludum esse, ô tempora, ô mores! vi-
derint principes & magistratus, qui adulterijs pleni sunt, adul-
teros judicare expavescunt. Et Jul. Clar. lib. 5. sentent. graviter.
Dolendum est (inquiens) his temporibus, in quibus passim
fere apud omnia tribunalia adulteri impune evadunt, imo de
ipso crimine gloriantur, ut merito exclamandum sit *ubi nunc
lex Julia! dormis?* Juven. Satyr. 2. quapropter, ego (pergit) eâ
semper fui in sententia, quod principes hujus temporis, qui
hoc

hoc gravissimum crimen severissimis legibus non coercerent, illasque exequi non faciunt, gravissime peccent. Et iudicio meo (pergit) iste unus est ex casibus, in quibus Respubl. Christiana maxime indigeret reformatione. Hucusque magnus ille Jctus, cui consentit *Mynsing. l. h. §. n. 10. Et Alciat. in l. probrum de V. S.* quem citat *Damhaud. in prax. rer. crim. c. 91. n. 95.* fures, inquit, strangulari, adulteros vero pecuniâ multari graviter dolet.

1. Ratio ordinis.

Ut verò ab ordine connexionis incipiamus, ratio huius non omnibus eadem constat, sunt enim qui eam deducunt à gravitate huius criminis cum *Wes. π. h. t. n. 1.* alij majestatem quandam toro ascribere videntur, ut *C. A. 9. 1.* quod adulterij crimine Majestas privata & dii natalitij lædantur, quæ tamen non nisi per magnam abusionem de eo dici potest. Rectius id fieri censet Excellentiss. Dn. D. Thabor ordine II. Juliar. quæ post L. J. Maj. sit gravissima.

2. Etymolog.

Dicitur autem adulterium Grammaticis, autore Festo, quasi ad alterum, quàm qui jure habetur accessus ac agglutinatio, quibus subscribit Jctus *Papinian. l. 6. §. 1.* vel ab adulteriori quasi dicas adulteriora progressum.

3. Homonym.

Notandum verò hic adulterium & stuprum promiscuè sumi *καταχρηστικῶς*, ut ait *Papinian. d. l. 6. §. 1.*

4. Synonym.

Synonymice dicitur facinus & quidem *καὶ ἐξοχήν l. 96.* ubi *Gothofr. ff. de V. O. l. 53. §. 3 ff. de legat. 1. alienarum nuptiarum temeratio. l. §. 4. de p. 1.* ab adultero derivatur verbum adulterari, quod ad res ipsas deductum, denotat idem ac corrumpere, ut *monetas l. 16. §. 9. ff. de pæn. rationes. l. 1. ff. de serv. corrupt. §. 5. stateras, idest, pondera l. annonam 6. §. 1 ff. de extraordin. crim. testamentum adulterare l. si quis legatum 9. ff. ad L. Corn. de fals.* Latini utuntur hoc verbo deponenti, licet *Aul. Gell. noct. Atticar. lib. 10. cap. 23.* usus sit in activo pro deponenti, ut *adultero pro adulteror Cic. offic. 1, ut habet Flamin. de Ruba, tr. de adulter. cap. 2.*

Hisce

704.
s. Defini-
tio.

Hiscæ breviter præmissis, definitur adulterium, crimen publicum, quo matrimonium alterius quaecunque etiam speratum violatur *l. 13. §. 3. ff. b. t.* ut habet *Excellentiss. Dn. D. Thab.*

Dicitur autem aliud propriè, aliud impropiè commissum per interpretationem saltem, quale perpetrat, qui uxorem in adulterio deprehensam non dimittit, vel qui sciens adulterij damnatam uxorem ducit, ut habetur *in l. auxilium 37. ff. de minor. l. 29. pr. & §. 1. ff. h.*

Divisio ex
I. C. §.

Aliâ divisione, moribus ita receptâ, dispescit adulterium in simplex sive inferius, & geminatum sive superius, illud committi tradunt *Dd.* cum cælebs alterius torum violando aggreditur *l. 34. §. un. ff. h. c. nemo 4. caus. 32. q. 4. Bocer. disp. 12. Wurmbser. tit. 36. obs. 7. n. 3. Heig. p. 1. q. 29. n. 6.* hoc, cum conjugatus cum conjugatâ commiscetur *lun. in explicat. c. 22. Deutr. Menoch. cons. 1409. i. 3.* quæ commixtio vulgo vocatur *Oberhurerey Gl. Landrecht art. 13. Beust. p. 2. c. 17. Coler. decis. 272. n. 4.* illa verò simpliciter *Chybruch* / quasi legis & fæderis infractio *C. A. J. 3. h. t.*

Jur. Saxoni
seu mori-
bus.

Causa efficiens non uno consideranda venit respectu, Jure Civil. enim indistinctè ab uxore committi sive cum soluto, sive cum conjugato rem habeat, à marito verò tum demum, quando cum uxore se miscet, ut *tr. Dd. in l. 6. §. 1. l. stuprum 34. §. 1. ff. h. t.* cum Jur. Canon. & divino nulla habeatur differentia *Can. nemo c. 32. quest. 4.* ubi hæc leguntur verba; omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet, quia Deum cognoscimus conjugij præfulem ac custodem esse, qui non patitur alienum thorum pollui, & si quis fecerit, eum peccare in Deum, cujus leges violat &c.

Special.
tractat.
1. Causa
Effic.

Objectum in quod adulterium committitur adæquatum est mulier nupta *l. 34. ff. h. attamen honesta l. 16. §. ult.* etiam injusta, (id est, quæ minus solenniter per simplicem tantum in domum deductionem usumque vel sine patris voluntate

2. Subjct.
seu object.

B lunta-

luntate conjuncta est *Wesenb. h.*) *l. 13. §. 3. ff. h.* nec non in sponsa
quoque *d. l. 13. §. 3. ff. h.* ut quæ pro uxore habetur *l. 74. ff. de jur.
dot.* & non tantum matrimonium, sed nec matrimonij spem
violare fas sit *Cujac. 6. observ. 16. Wes. parat. h. t. n. 7.* minus ad-
æquatum statuitur in concubina, non quidem quavis, sed in
ea tantum, quæ in patroni concubinato vixit, quod honestius
excusatur *l. 41. §. 1. l. 46. de V. S.*

3. *Forma.*

Posito jam objecto, in quod committitur tantum cri-
men, de quo nobis hic sermo justo ordine sequi videtur
forma ipsa quomodo sc. illud committitur jur. Civ. & qui-
dem juxta *leg. 37. ff. de minor.* directè, illicitâ sc. consuetudine
cum alienâ nupta ut videre est *l. 6. §. 1. ff. h.* & hoc quidem fieri
tradunt Dd. simpliciter, aliquando cum incestus vitio *l. 38. in pr.
ff. h.* & *Carpz. hodierno tempore meritiss. 2. quest. cr. 53.* Indirectè
delinquit maritus, quando adulterij aut stupri damnatam aut
dimissam sciens ducit ac reducit uxorem *l. 29. §. 1. ff. h. l. 33. §. 1.
l. 9. & 17. C. h. l. 37. ff. de min.* qui enim sciens impudicam du-
cit pro impudico & lenone censetur, nec minus adulter habe-
tur, qui nuptijs ejus se associat, cum quâ antea adulterium
commiserat *l. 27. C. h.* velamento enim matrimonij *d. l.* &
ducendo auget suspicionem *l. 34. C. h. Nov. 134. c. 12.* & nuptiæ
secutæ præbere argumentum patrati adulterij concludit *C. A.
h. §. 4. num. 6.* adulterij etiam reus dicitur, qui concumbit cum
muliere, quæ pudicitiam antea vulgavit *l. 10. §. 1. l. 13. §. 2. ff. h.*
adulterium etiam committitur superducendo alteram, cum
& polygamia cum hoc crimine *fatentibus ll.* coincidat *l. 18.
C. h. C. A. §. 4. num. 7.* quanquam *Cujac.* hic non adulterij sed
stupri tantum pænam locum habere putat, & distinguen-
dum esse, an de marito an uxore agatur, nam in confesso est, ut
loquantur, maritum jur. civ. cum soluta rem habentem non
committere adulterium, stuprum licet. Itaque nec indirectè
ducendo alteram, adulterium sed stuprum committet. Uxor
v. quia thorum violat, ideo & secundo nubendo committet
adulte-

adulterium *l. uxor 7. & auth. hodie C. de repud.* Maritus quoque committit adulterium subjiciendo adulterum, eum in finem, ut postea eum deprehendat *l. 14. §. 1. ff. b. utram uxorem infamare ac dimittere possit l. 17. C. b.* adulterium deniq; committit maritus non faciendo seu omittendo, cum sc. adulteram domesticam non dimittit, sed retinet *l. 33. §. 1. ff. b.* licet hoc facinus ad lenocinium pertinere videatur: hæc de marito. Uxor hujus criminis particeps fit pluribus nubendo *l. 18. C. b.* nec non sine legitima causa discedendo *l. si stupri 35. C. b.* stupri pro-cacitate se contaminando *d. l. 35. C. b.* & denique lenocinium faciendo *l. 10. §. ult. ff. b.*

Effectus admitti adulterij consistit in irrogatione pænæ, 4. Effect. quæ pro diversitate jur. & temporis varia & diversa fuit, quæ imprimis communis & publica, vel singularis & privata, marito & patri in deprehensum cum filia adulterum in-terneccionis vindicta concessa est, patri quidem liberius *l. 23. pr. ff. b.* marito verò restrictius; rationem diversitatis suggerit *l. 22. §. 4. ff. b.* quia plerunque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit: Jur. Novell. trinadenunciatio requiritur *auth. si quis post l. 30. C. b.* quod jur. canon. utrumque prohibitum legitur *Can. 6. & 8. c. 32. quest. 8.* Occisorem tamen requisitis non servatis nequaqu. ordinariâ teneri pænâ tradit *post C. A. §. 16. n. 13. Carpzov. 4. constit. 19. defin. 18.* Hic èν πρὸς δὲ à Dd. quaritur, an pater filiam prægnantem rectè interficiat? sed cum hæc quæstio jamdudum à Quintiliano sit agitata *declamat. 277.* illam mittimus; Sed an in foro conscientie pater maritusve uxorem adulteram adulterumque occidere possit est, quod magis quæras? *Dis. Clar. §. adulterium n. 11. cui & Perez accinit in Comment. suo Cod. n. 23. b.* qui dicit hoc esse cavendum pro-pter detrimentum animæ, quod occidendo eis infligitur, quod longe præponderat omni injuriæ patris aut mariti, in quorum urnam & calculum suum conjicit *C. I. A. num. 16. in fin.* Pænâ adulterij statuitur vel principalis vel accessoria *Excellensiß.*

Dn. D. Thab. fautor singulariter colendus, illa autem dicitur adul-
terij vel simplicis vel aggravantis, ubi alia jur. Justiniano, alia
vero post Justinianum invaluit, illic refertur (pergit) pœna du-
plex juris & *Veteris*, quæ iterum diversa L. Jul. in pagano rele-
gationis *l. 5. de question.* in milite erat deportationis *l. 11. ff. b.*
Hic fat prolixè disputant Dd. an sc. pœna ex L. J. ab initio fue-
rit capitalis necne? nos distinguimus, inter Leg. Jul. latam &
reformatam. Alia autem tempore Diocletiani & posteriorum
Impp. placuit capitalis nimirum, quæ & olim ex arbitrio Impp.
injuncta legitur *l. 18. C. de transf. & l. 30. § 1 C. b.* ad quam re-
formationem ad sua tempora correctam quoque respexisse
Imp. Justin. in §. 4. *l. de P. I. sentit Consultiß.* *Dn. D. Thab.* alia
recentioris Novellarum sc. quarum jure longe mitior pœna
dictata fuit mulieri adulteræ, ut nempe virgis cæsa in mona-
sterium detrudatur *Nov. 134. c. 10.* de qua mitigatione ejusque
causa anxius admod. est *Wes. π. h. t. n. 19. vers. quâ in parte,* cum
major sexum hunc castitas deceat, & quo major ad lapsum
naturæ proclivitas, eò gravior requiratur severitas, tum cum
& majoris, ob prolis incertitudinem & familiarum confusio-
nem sit turpitudinis, hujus responsio peti potest ex ipso aut:
jam citato. Post Justinianum iterum aliud Impp. aliud Pon-
tificibus placuit. Imp. enim Leo adulteris nasum abscindi vo-
luit *Nov. 32.* Jure autem Carolino eoque novissimo, quod &
sequitur jus Saxon. ut multis testatur *Schultze ad §. 4 l. de P. I.*
p. m. 701. pœna gladij utrique adulterorum dictata est, reducta
nempe anteriorum principum severitate & castimoniâ, cum
Jure divino ambo delinquentes aut ignis aut lapidationis af-
fecti sunt supplicio *Gen. 6. 38. v. 24. Levit. 20. Deutr. 21. v. 22.*
procul dubio quod haud fœdius inveniatur crimen cum
omnia peccata, quibuscunque homo peccat, extra suum cor-
pus fiant & posita sint, hoc vero in ipsum corpus committi-
tur, quo homo ipse in propria sua quasi viscera sævit ac ruit
juxta Apostoli effatum, *1. Cor. 9. v. 18. c. 116. caus. 32. quest. 7.*
quid

quid omnibus peccatis adulterio est gravius? Jur. Canon. pæna adulterij est excommunicatio in laico, *c. intelleximus 6. extr. de adult. in clerico depositio, c. si quis clerico. 120. dist. 81. c. lator. 144. caus. 2. quest. 7.* Aggravatur autem pæna tum perincestum, tum quoque per multiplicationem. Ubi quæritur an reiteratio seu multiplicatio h. crim. sit attendenda an reiterati pæna simplex sit habenda? Ubi dist. cum *Excellentiss. Dn. D. Thab.* an pæna huj. crim. sit capitalis nec ne, priori modo non attenditur reiteratio, licet posteriori casu *per l. 28. §. solent. 3. & 10. ff. de pen.*

Sequitur pæna accessoria quæ concernit vel existimationem vel bona, nam adulteri infamiâ notantur *ex leg. 12. C. h. quoad bona vero mulier adultera dictante l. 8. §. 4. C. de repud. & d. Nov. 134. c. 10.* amittit dotem eamque maritus lucratur, certa tamen parte liberis servatâ *d. l. & Nov.* Maritus autem dicitur jacturam facere donationis propter nuptias, quæ uxori cum dote salvâ liberis proprietate assignatur *d. l. 8. §. 5. sæpius honorifice mentionatus Dn. D. Thab. in suis dictat. h. r.*

DE STUPRO.

LEge hâc Julia & stuprum contineri & quoque puniri patet *ex l. 34. ff. h.*

Dicitur autem stuprum à stupore, cum stupido bruto similis sit, qui in venerem illicitam ruit, quique deflorationem virginitatis & pudicitie non sine ingenti ingenij morumque stupiditate appetit *Gædd. ad l. 101. de V. S. num. 6.* ubi addit hâc unicâ re hum. vitæ nostræ internosci infirmitatem: Germ. vocant *eine Schande* / quod deduci arbitrantur & monere de lege Scantinia (quidam legunt Scatinia) quæ lex lata erat contra stuprum & coërcebat omnem illicitum actum & corporis immunditiem, cujus mentionem fieri à Sueton. in Domitiano *a. 8.* testatur *Bachov.*

v. Etymolog.

Latissime omnem complectitur illicitam cohabitationem

2. Homonym.

B 3



nem siue cum libera siue cum maritata committatur l. 34. ff. h. in stricta significatione sumitur prout definitur. 3. strictissime pro omni defloratione.

3. Synonymia.

Synonymia huj. vocis traditur l. 6. §. 1. ubi dicitur *φθορά* corruptio.

4. Definitio.

Definitur autem ab *Excellentiss. Dn. D. Thab.* stuprum per crimen publ. quo puer, virgo vel vidua castitatis respectu corrumpitur; statuiturque ab eodem.

5. Divisio.

Simplex & mixtum; hoc aut conjunctum (1.) cum violentia & posset defini: crimen publicum, quo dictis personis stuprum cum violentia infertur Germ. eine Notzucht / quod vindicandum L. Juliade vi publ. l. 29. §. ult. ff. h. & coërcetur mortis pæna §. 4. l. de P. I. confer *Constit. Carolin. art. 119.* (2.) cum raptu de quo alibi. Simplex stuprum est vel pueri, quod incidit in speciem Sodomiae l. 31. C. h. vel femellæ liberæ viduæ vel virginis sine affectu concubinatus l. 34. ff. h.

6. Effic.

Stuprum autem committunt personæ non tantum liberæ; sed & maritus quoque rem habens cum persona libera aut coëlibe, quia torus alienus per stuprum non violatur, ut statuit *Consultiss. Thab.*

7. Subjecti patiens.

Subjectum patiens sunt personæ hactenus honestæ §. 4. l. de P. I. nam in meretricibus fornicatio potius quam stuprum admittitur c. nemo blandiatur caus. 32. quest. 4.

8. Forma.

Forma consistit partim in ipsa corruptione, partim in remotione aliarum specierum affinium, ut est adulterium & concubinatus.

9. Effect.

Effectus consistit in pænis irrogandis stupri vel mixti, quæ est mortis ut antea dict. tum simplicis, quæ civilis & legibus expressa est, vel in honestiore, publicatio dimidiæ partis bonorum; vel in humiliori corporis coërcitio cum relegatione d. §. l. de P. I. vel moribus introducta, quæ est arbitraria C. A. §. 25. n. 3. alia quoque est Canonica quæ eadem habetur cum jur. divino, stuprator sc. ut vel ducat vel dotet, & præterea infanti suppeditet alimenta. *Carpzov. 2. quest. crim. 68. n. 8.* An

An etiam pœna stupri mulieres maneat? inter Dd, con-
trovertitur, ratio dubitandi est, quod L. Jul. in stupratores tan-
tum concepta sit §. 4. l. de P. l. ubi dist. inter pœnam legalem &
arbitrariam seu moribus receptam, v. Carpzov. 2. quaest crim. 69.
n. 60. per l. 20. C. h.

DE INCESTU.

Fuerunt principalia, sequuntur accessoria, adul-
terio enim & stupro cum sæpius accedat & incestus, ideo-
que de eo hic paucis tractandum erit.

Derivatur autem vox hæc à nonnullis à cestō Veneris
vinculo, quo virgines ad honestas nuptiās ornabantur, Festo
idem esse dicit M. ille Thab. ac ἀνήκεστον quasi insanabile.

1. Etymol-
og.

Sumitur autem pro quibuslibet sordibus ac impuritate
l. 12. C. de re milit.

2. Homo-
nym.

Per Synonymiam dicitur nefaria conjunctio l. 23. C. de
nupt. quæ vox aliàs ad graviores speciem restringitur.

3. Syno-
nym.

Definitur ab jam honorifice dicto Dn. D. Thab. quod sit cri-
men publ. quo personæ cognationis aut affinitatis vinculo sic
conjunctæ, ut nuptias contrahere nequeant, illicite com-
miscentur l. 68. §. 1. de R. N.

4. Definis

Committitur vero inter personas ex gradu ascenden-
tium vel descendendum, qui dicitur Iur. Gent. l. ult. de cond.
sine Caus. l. ult. ff. de R. N. à quo non tam naturalem rationem &
consensum Gent. quàm ipsam naturam abhorre, dicit Imp.
in Nov. 12. c. 1. Add. C. A. §. 18. vel jur. civ. qui committitur inter
personas ex latere venientes d. l. ult. de R. N.

5. Distinctio.

Ratione formæ committitur vel simpliciter vel cum
schemate aut matrimonij vel concubinatus, simpliciter per
nefariam conjunctionem idque clàm vel palàm d. l. ult. de
R. N.

6. Formas.

Efficiens causa si indaganda, nulla alia suppetit quam
ea, quæ jam agitata fuit, naturalis nempe ratio & pudor, apud
pleras-

7. Efficien-



plerasque Gentes constanter observatus, quanquam jur. Gent. diversa apud diversos autor. exempla reperiuntur.

8. *Subjett.*

Subjectum sunt ij, qui committunt incestum vel Jur. G. ut sunt vel cognati omnes in linea recta existentes in infinitum *l. 53. de R. N.* vel affines, illi qui sibi parentum liberorum-ve loco sunt *l. ult. de R. N.* ubi notandum, in hoc crimine respici vel ad Jus Vet. Rom. cujus respectu levioris habetur momenti sc. jur. civ. tantum, vel respicitur ad tempora Christianorum, ubi longe gravius aestimatur hoc facinus per expressum text. *Levit. 18. v. 10. & 1. Cor. 5.*

9. *Form.*

Forma est ipsa commixtio vel cum, vel sine colore matrimonij per stuprum vel adulterium commissa ut supra.

10. *Effect.*

Effectus consistit in obligatione ad pœnam, quæ est vel ut irroganda vel moderanda, irrogando vel personis, quarum respectu hic differentia habenda est antea adducta incestus Jur. G. & Civ. illius intuitu videndum an prætextu matrimonij commissus sit, ubi alia pœna remanet honestiores, quæ est deportatio, exilium & cinguli spoliatio *auth. incestas nupt. post l. 6. C. de incest. nupt.* viliores vero remanet verberatio, si autem sine colore matrimonij fuerit admixtus incestus stupri vel adulterij pœna locum habet *l. 11. §. 1. ff. h. mixti* id est, cum adulterio conjuncti incestus pœna est capitis vel ex Jur. Can. *Tan. adulterij caus. 32. quest. 7.* animæ amissio ut habet *celeberr. Thab. h. idem & obtinere jur. Justin. postq. Constantini pœna capit. in adulteros reducta est Novell. 134. c. 10. ab init.*

Incestus jur. civ. & quidem *gravioris* inter fratres sc. & sorores pœna est virgarum cæsis cum perpetua relegatione, de quo prolixè *Carpzov. 2. quest. 73. n. 11.* vel *remissioris*, cujus pœna statuitur relegatio. Ratione bonorum pœna alia habetur admixti incestus vel per nuptias & est confiscatio dotis ac donationis propter nuptias ut habet *l. 4. C. de incest. nupt. & Nov. 12. cap. 1.* vel extra nuptias contra jus Gent. & est publicatio omnium bonorum *d. Novell.*

Causæ

Causæ admissi incestus pœnam lenientes vel temperantes approbatæ sunt (1.) error juris in mulieribus *l. 4. C. de incest. nupt.* (2.) lubricitas ætatis *d. l. 38. §. 4. ff. h. t.* (3.) pœnitentia seria *d. l. 38. §. 5. cum præensione erroris & promptitudine emendationis d. l. 38. §. 7. Coniunctus cum §. 5. h. t.* solo verò temporis lapsu nullatenus excusatur, nam incestui cum adulterio coniuncto non præscribitur quinquennio *l. 39. §. 5. ff. h. t.* cum simplici adulterio tanto spatio præscribatur *leg. 29 §. ult. ff. h. t.*

DE LENOCINIO.

Lubet jam pauca hic annectere de crimine ancillari seu ministeriali lenocinio sc.

Quod Grammatic. videtur derivari à leniendo, quod soleant eiusmodi homines leniendo & blandiendo corrumpere juventutē, vel (quod potius) à lenitate, quæ est permittentium ita dicitur, neq̄ perperam faceret, qui fluxisse diceret à mulieribus quæ *l. 43. §. 6. de R. N.* lenæ dicebantur, quarum cantus Syrenum cantui suavissimo quidem sed incautum decipienti æquiparatur.

1. Etymol. Lenocin.

Synonymice dicitur ab Imp. Nov. 14. castitatis furtum & latrocinium; sumitur vero partim active, pro studio & arte corrumpendi, ut videre est *l. 6. C. de spectac. & scen.* partim sumitur passive, pro lenitate ac negligentia mariti contaminari thalamum patientis *l. 29. §. 4. ff. h. t.* anxie à Dd. hic quæritur, an hæc ultima species lenocinij ad L. Jul. spectet? sunt qui negant, ex *l. 27. §. 1. ff. de hereditat. petit.* quia olim evitandi gravioris mali causâ ferebantur lupanaria. Dist. Alij inter lenones nomina sua apud AEdiles professos & non professos; Alij inter L. Jul. primam lationem & ejus interpretationem, ex qua omnia omninò punienda sunt lenocinia.

2. Synon.

Definitur autem quod sit crimen publ. quo vel maritus uxorem vel parens liberos, vel dominus servas alienæ libidini

3. Definit. Lenocin.

C

pecu-



pecuniâ acceptâ prostituit, vel aliorum libidinibus concilia-
turam aut latibulum præstat.

*Lenocin.
disisio.*

Dividimus lenocinium cum *C. A. J. s. h. t.* quod aliud sit *proprium* cum fraude & nequitia conjunctum, hocque iterum aut *questuarium*, cum quis lucellum aliquod quærit ex adulterio vel stupro, aut *gratuitum*, quod committitur nihil quidem accipiendo, scelus tamen nequiter tegendo *l. 2. §. 2. ff. h. t. juncta l. 8. eod.* *Improprium* verò, quod positum sit extra pœnam legis, quo peccat ille, qui per nimiam teneritudinem, vercordiam ac negligentiam contemnit suum matrimonium, contaminationique conjugis connivet *l. 2. §. 3. l. 29. §. 4. ff. h. t.*

*4. Effic.
caus.*

Causa efficiens h. facinoris statuitur ipsa lex, quæ limites illi præfigit *l. 17. C. & l. 29. §. 4. ff. h. t.*

5. Subject.

Subiectum sunt ipsi committentes, ut est maritus, uxor & extraneus.

6. Object.

Objectum statuimus ipsum crimen corruptæ pudicitia.

7. Form.

Forma pro diversitate subjecti diversa est, alia enim in

8. Committentes lenocin.

conjugibus, alia verò in extraneis consideratur.

1. Maritus.

Quod ad illos, maritum varie committere lenocinium elicitur ex ipso textu, ut qui adulterij damnatam ducit *l. 29. §. 2. h. t.* qui ductam & deprehensam retinet *l. 2. §. 2. d. t.* (cui an obstat *causa quod autē 32. q. 2.* videbimus, Deo volente, in actu ipso disputatorio,) qui prostituit uxorem aut liberos *Nov. 14.* talis facinoris quoque reus habetur, qui cogit aut adigit ad stuprum quoscunque sibi suppositos *l. 6. de spectac.* An & paciscendo emergit quæstio? & ne simpliciter id inficias eamus; disting. cum *seleberr. Dn. D. Tab.* inter committendum & commissum, de illo nunquam; de hoc pacisci licet. Hæc de marito.

2. Uxor.

Sequitur alterum subjecti membrum, marita sc. quæ lenocinium committit quando pretium accipit ex adulterio mariti *l. 33. §. ult. ff. h. t.*

3. Extraneus.

Extranei sequuntur, qui committunt talia flagitia varijs modis vel occultando & fovendo adulteros *l. 1. §. ult. & seqq. l. 10.*

l. 10. C. h. t. vel procurando l. 12. h. t. l. 37. ff. de minor. v. P. H. D. art. 123.

Quæri hic solet de concessione & privilegijs ejusmodi tabernarum meretriciarum, quæ in nonnullis locis vigent, quæ diversoria turpitudine sunt omnium turpissima, corruptela juventutis, & morum civitatis depravatio, sed cum interris nostris, ubi purior Evangelij lucet doctrina, ejusmodi loca non tolerantur, merito hic supersedebimus: sunt qui dicunt esse aliquid malitiæ hominum ob evitanda majora mala ac scelera indulgendum, sed si verum fateri velint, potius eorum avaritia causa est, lupanaria enim Romæ fatentibus etiam ipsis pontificijs annuatim dicuntur inferre ultra 3000. coronatorum ut tradit Carpzov. p. cr. c. 70. n. 7.

Effectus huj. criminis consistit in pæna, quæ alia obtinet in parentibus liberos prostituentibus, capitalis nempe Nov. 14. alia in maritis, quam olim fuisse relegationem tradit D. D. præceptor meus hodie verò secundum tradita Carpzov. esse capitalem. In extraneis videndum an cum coactione vel sine ea, si posterius statuitur arbitraria P. H. D. art. 123.

Et hæctenus de criminibus ipsis, jam de eorū coërcitione, quæ vel *publ. vel privata*, de iisque qui accusare & accusari possunt, quædam hic essent annectenda, sed cum ejus rei supra mentio facta sit, brevitate ergò hic præterimus, hoc saltem addendo ratione uxoris, quæ *Iur. Cod.* maritum adulterum ob sexum accusare non potest *l. r. C. h. t. licet injuriarū* & ad separationem tori agere queat *l. 8 §. 2. C. de repud. Iur. autem Canon. & ordinat. Imp.* optime hoc facere ei prævisum est *c. præcepit 19. c. apud nos 20. c. 32. q. 5. & c. fin. c. ead. q. 6. Wes. n. h. n. 11 in fin. & art. 120.* Ratione accusationis plura hic addi possent, sed antea dictum est, qui ex lege accusare & accusari possint, eaque ab alijs superflue tractantur. De iudice si quæritur est ille vel *eligendus*, circa quem agitur de foro cõpetente, de quo est integer *tit. C. ubi de crim. agi oport.* vel est jam *electus*, cujus officium versaturum

Quæst.

9. Effect.

Coërcitio
quoduplex.

rum

tum in *accusatione*, ubi ei præscribitur à lege, ne adeò facilis sit dilationes concedendo *l. 41 ff. b. in diiudicando* observet poenam à lege præscriptam *D. Tab. allegando Boc. c. 5.* hodiè verò iudex est quilibet magistratus, qui inquirere debet in facinorosos, ne scelera maneat impunita *l. 3. & 13. ff. de offic. præsid.*

Contraria

Hucusque fuere consentanea, sequuntur contraria, quorum alia sunt *communia*, uti sunt *præscriptio & compensatio*, utpote in adulterio quinquennium, in adultera 6. menses, quanquam illam hodie non attendi *Dd.* inter se contendunt, nihilominus *Wesemb.* si credimus, poena mitigari debet *n. 18. b.* & hæc præscriptio quinquennij non tantum in adultero sed & adultera locum habet, uti & in stupro & lenocinio *l. 29. §. 6. h. Iur.* autem *Saxon.* huic præscriptioni plane derogatum esse asserit *Treutl. 2. disp. 22. §. 4. lit. (i.)* quod tamen restrictum volunt ad adulterium qualificatum vulgò *Oberhurerey*; in simplici autem eam præscriptionem adhuc obtinere, de qua derogatione cum in terris imperij nihil constet, illa eò magis adhuc vigere creditur.

Altera exceptionum species est *compensatio*, mutuam enim compensationem tolli posse accusationem trad. *Jctus in l. 13. §. 5. h. t.* ut & pontificij *c. intelleximus 6. X. eod.* quod tamen cum grano salis accipiendum arbitrantur *Dd.* ne sc. magistratui inquisitio & arbitraria poena adimatur *c. 21. §. ad hæc & c. 24. X. de accus.* Peculiaris contraria seu præscriptiones extant & continentur in *l. 28. C. h.*

Ultio privata.

De privata ultione, quæ concessa legitur tum patri tum marito, sed diverso respectu, nihil hic addimus, cum sint comperti juris.

AUCTARIUM.

An heredes mariti, possint accusare uxorem de adulterio ad amissionem dotis? Covaruv. sec. part. c. 7. n. 9. Disting. inter maritum dum viveret scientem & ignorantem, affirmativ. fundam. est text. in l. rei judicatae 15. §. 1. ff. solut. matrim. Negativ. v. in l. ult. C. de revocand. donat. in fin. Sed negativ. verior videtur.

F I N I S.

Strassburg, Diss., 765A-52

ULB Halle 3
004 774 795




f

Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS

Ad L. Juliam

DE

700.
~~97,~~
1652, 4. 20

ADULTERIIS,
STUPRO, INCESTO,
ET LENOCINIO

Quam

DEO CLEMENTER ANNUENTE

Autoritate & Decreto

MAGNIFICI, AMPLISSIMIQUE
RECTORUM ORDINIS IN ACADE-
MIA ARGENTINENSI.

AD

Assequendum propositum in U. J. summum
honorem & privilegia

*Publica & Solenni Eruditorum disquisitioni
submittit*

JOHANNES *Cramer* / LEUTENBERGA
SWARTZENBURGICO-THYRIGETA.

Mense Jun. 3. die.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. LII.

